

DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis vigesimo-octavo, mensis Februarii, anno Domini M. DCC. XLIII.

M. JOANNE-BAPTISTA-LUDOVICO CHOMEL,
Medico Regis ordinario, Doctore Medico, Præside.

An Hygieine, Medicinæ Pars utilissima, desertissima?

I.



VIVIDAM præferat medico facem Anatome. Tot anteà ignotas corporis functiones & sanguinis præcipuè circuitum suis innotuisse vigiliis glorietur. Absit ut suas huic arti laudes invideamus, cujus plerúmque auxilio clinicus gliscentem spissimos intrà corporis parietes morbum tutiùs detegit feliciùs expugnat, debitâ sanè fruatur gloriâ, dum suis contenta finibus ultrà modum non superbiat, adjutricemque se, non æmulam jactitet illius scientiæ, quàm in salutem humani generis adauxit, illustravit, firmissimis experientiæ diuturnæ fundamentis innixam stabilivit, penè dixerim creavit Cous ille senex, quem sedulò morbos observantem, diagnosim fideliter exarantem & educentem, prognosim feliciter assequentem, & ferè plusquàm homini datum sit falli & fallere nescium, & tot celebravit encomiis, & desiderat etiamnum ætas posterior. Eruta tandem è tenebris ignorantiæ quibus-

dam abhinc sæculis immensas undequáque opes conquisivit Historia naturalis, varias artes indiscriminatim ditatura. Diversa hæc munera sine delectu avidiùs quàm sapientiùs arripuere homines. Quot hinc enata sunt intemperantiæ luxûsque instrumenta? Quot inventa in perniciem humani generis gulæ irritamenta? Cum enim invecta sint exquisita Comi dona palato molliùs blandientia, & nova febrium cohors terris incubuerit, novis obrueretur homo divitiis nedum locupletaretur nisi (tanta est orbis hujus universi rectoris providentia) præsentiora remedia velut istius pestis antidotum, idem subministrasset promptuarium, adeò ut manaret simul eodem ex fonte alterna quædam & reciproca vitæ necisque dispensatio. Quinetiam Pharmacia Chimiæ consortio facta ditior nova medico arma suppeditat eaque potentiora: sed quàm prudenter adhibenda, quàm cautè tractanda, quàm industriè sunt elaboranda! Non enim ut olim admittit tyrones Pharmacia; artifices diuturno usu probatos, labore improbo, experientiâ difficili commendatos postulat artis utriusque connubium. Certiora quidem hinc tela depromit medicus. Verùm utinam talibus adinventis rectè compensetur luctuosa nimis inveniendi necessitas. Naturæ magis affinem galenicæ methodi simplicitatem soli mores hominum ab avitâ simplicitate degeneres, morbique subindè pervicaciores enati, minùs huic jam ætati sufficientem probaverunt. Crevit hominum vitiis nata eorum saluti therapeutice, absit illam crescentem in dies altiùs adhuc extollam. Omni flagitiorum genere inquinati homines, cujuslibet legis ac moderationis impatientes, præcipuum morborum fomitem accendere festinarunt, antiquos sobrietatis, integritatis, temperantiæ restitue mores & magnâ ex parte evanescit artis medendi necessitas; at sua semper utilitate gaudebit hæc Medicinæ pars hygieine dicta quæ tutelæ instar & præsidii hominibus concessa, eam quâ fruuntur sanitatem illæsam servare, morborum imminentium causas avertere sedulò edocet, maximè provida ne faciliùs admittatur hospes quem ejicere difficile foret.

I I.

UNDÈ recreandas esse vires confidimus, indè orta esse morborum semina quandoque experimur. Non nunquam latet anguis in herbâ. Aer fluidum illud grave & elasticum, corpus undequáque ambiens, vitæ sustentandæ adeò necessarius idem est & mutabilis, vicibusque suis infestus fieri potest. Calore æstuans, nimium expanditur, frigore condensatus torpet, humiditate remittitur, siccitate rigescit, miasmatibus heterogeneis vaporibusque cujusvis generis inficitur, ventis agitatus turbatur, austro superveniente subvertitur, septentrionali exsugitur exsiccaturque; & quoniam plus aere vivimus quàm cibo & potu, sic variè affecto variè afficimur. Plura motu liquorum assiduo dissipantur, novoque indigent refici pabulo humores diversi. Reparare animus est, destruimus; unáque cum alimentis hauriuntur & morbi. Somnum suadet nox placida, hæc vigiliis consumitur, cælesti dono datus ad recreandas vires, reluctante naturâ, somnus excutitur; ubi autem benefico solis lumine gaudet quidquid vitam vivit, incassùm refugienti atque umbrarum amanti somno exhausta membra traduntur; hinc languidum est effœtumque corpus, quod nullis aliundè motibus exercetur. Vasorum & viscerum debilitantur actiones, ingesta nostram naturam non induunt, sed corruptione desciscunt funestâ, torpent secretiones, languet hæsitatque perspiratio sanitatis vindex, excernenda non secernuntur, secernenda retinentur. Quàm malè ex animi affectibus afficimur! Ita bilem inflammat, stringit cordis thalamos tristitia atque ossa exsiccat. Ambitio torquet, rodit avaritia, omnis amans amens in proprio corpore planè emortuus, vivit qualitercunque in alieno. Quid quòd formidanda animi pathemata expetuntur? Marcida aut etiam extincta sollicitantur? Quid ni docilem sapientis medici præceptis aurem præbeant homines, hunc audiant monentem, hortantem, ut salubriùs feliciùsque vivant.

I I I.

NEC vana promittit hygieine, fore ut præsentem tueatur sanitatem, arceat morbos, & quantò beatiorem vitam vixeris. Diversam ambientis aeris temperiem edocta, præscribit secundùm diversa temperamenta, quatenùs conferat si mutaveris, quas vices prudens effugias, quas verò non pertimescas nimium timidus; discas ex eâ quænam requirantur in alimentis, ut restaurentur vires, non lædantur; alimenta ut plurimùm condiat fames, sitim potus extinguat nec stimulis irritet suis. Labore diurno firmetur exerceaturque corpus, ut succedente nocte lassata recreentur sopore membra, fiantque ad redintegrandum laborem agiliora. Quisquis sanitati consuluerit, salubri exercitio corpus indurabit, ne tempestatum vicibus sit obnoxium injuriisque obruatur. Sic purgat humorum intemperiem

corporis motus, quemadmodum ſal in cibis, quos condiendo faciliùs præparat, feliciùs diſtribuit. Pueros in cunis movet higieine, curru, deambulatione, ſaltatione adultos, equitatione, pilæ luſu roborat juvenes, ſenes bis pueros ſuis quoque exercitationibus expeditiores efficit. Hâc ſuadente proceres curſu præcipiti venantur, exultante geſtantur equo. Sic omnibus omnis avertitur infirmitas ſervatur que ſanitas illæſa. hyeme laboret homo, æſtivo moveatur tempore, verno & autumnali exerceatur, expeditior erit ſanguinis motus, ſecurior utilium defæcatio, inutilium celerior avolatio, vividior quævis ſecretio. Sic homines ex variis anni tempeſtatibus reficientur non lædentur. Sic accedente Vere corpus ſuccis redundantibus non turgeſcet, hæmorragiæ, hæmoptoes, anginæ, peripneumoniæ, plevritides, apoplexiæ, febres malignæ, plures de genere acutorum morbi non ſævient; ſanguis ſua ſede contentus, nec propriis in carceribus æſtuans, capillaria limphatica non ſubibit. Sanguine rarefacto tepeſcentis aeris beneficio, ſubtiliores fient ſpiritus, liberior ſanguinis circuitus, nec ut ſolet plethorâ & orgaſmo nimiùm irretitus. Corporis proindè erit alacritas major, mentiſque vigor & acies. Æſtate, aere nimiùm rarefacto humores expanduntur, areſcunt, limphâ orbantur blandâ, corpora tunc indigent tenuiori & leviuſculo pabulo, facilioris digeſtionis ad compeſcendam humorum rarefactionem, ſuccenturiandamque deperditionem. Caveas ne abundantiori ſpiſſiorique alimento ventriculum prægravando, cui animus eſt occurrere incommodo illud adaugeas; minitantur febres malignæ, plevritides, dyſenteriæ, eòque ſæviùs debacchantur, quòd majori perſpiratione defraudatus areſcenſque ſanguis faciliùs inſpiſſetur, arietet, pronuſque fiat diris ægritudinibus ſuſcipiendis. Blandum & facilé offertur tantis malis remedium. Fructus horarii, dulces, acidi, molli medullâ intus repleti facilis ſunt digeſtionis, ſanguinemque dulcibus & levibus renovabunt ſuccis. Invitat aliundè aquarum ſalubritas modò hauriantur, modò in profluente balneo indulgeamus, tum ad firmanda membra tum ad revocandas vires quas exhaurit vividior tempeſtatis æſtus, id etiam propriùm & utile inprimis præſtat hujuſmodi balneum, quòd exercitationis ſalubritatem referendo appetitum acuat, digeſtioni faveat, vireſque nullo modo frangat; tranando enim flumina, præterfluentis aquæ ictibus membra objiciunt balneantes, quatiuntur muſculi, robore gloriantur non indecoro, minima fit ſucci perſpirabilis ſpirituum que deperditio, ac vires explicantur non dilabuntur. ſubtiliores enim aquæ particulæ vel cutis porulis inſertæ atque his canalibus immixtæ ſanguini caloris & æſtûs detrimenta compenſant, vel membranas cutem que firmant. Caveas tamen prægravans humorum & alimentorum ſaburrâ turgidumque abdomen medio demergere flumine. Adventante autumno, aer ſublatum ardore ſolis æſtivi humorem recuperat, ſed catharri, rheumatiſmi cæterique bene multi invehuntur morbi, ni arte prophylacticâ huic tempeſtati œconomiam animalem accommodaveris, victum tenuem moderando. Hinc fuge facilem nimium ventris ingluviem, fuge ſeroſam adaugere colluviem. Clamant adverſùs hyemem homines quam vocant inſalubrem. Aeris tamen firmatur elaſticitas, purgatur inſectis, terreſtribus contagioſiſve liberatur miaſmatibus, corpori vigor membris robur conciliatur, mens ſui compos functiones alacriùs exercet; at hâc tempeſtate homines ut plurimùm otio torpent, luxuriâ diffluunt, humoribus internè ſuccenduntur ignes quibus conſumantur, extûs verò frigore torpent condenſanturque ni adſcititio & incaleſcente motu terantur ut fluant. Magis ergò cuique tempeſtati affines errore hominum enaſcuntur morbi, quos effugere poſſint certis obſequendo legibus.

I V.

BREVITATEM vitæ incuſant homines quam culpâ ſuâ breviorem faciunt. Juveniles annos quot lethalibus obnoxios ægritudinibus efficit præceps juventutis ardor! Viris atque ipſiſmet ſenibus acerrimus inhæret ſtimulus ut marcentem flammam juveniliter accendant, atque adeò ſanitatis obliti propriæ vitæ detrimento actuoſiora vorant remedia quibus ſuſcitent affectus quos extingui natura prudens curaverat. fruſtrà ergò novis ditatur cognitionibus ars noſtra; fruſtrà obſervando ſigna cujuſque morbi propria noſcit Medicus quibus potiſſimum ſymptomatibus occurrendum ſit, quid ve ſtruat morbus latens ut inſidias inſidiis, cuniculos cuniculis vim vi repellat; fruſtrà novis innumeriſque materiæ Medicæ opibus, armiſque inſtructi peritiores clinici morbum quemcunque curare, feliciorique & tutiori methodo hunc aggredi & fugare norunt; auxiliante nequicquam arte, immaturo perſæpe funere volens æger perimitur; intereà (tanta eſt hominum cæcitas vel nequitia) vanam conjecturalem que inſimulant Medicam artem, Medicoſque alieno crimine deturpant: non audiuntur Medici ſervandam ſanitatem edocentes, (qui enim vivit Medicè, inquiunt, hic vivit miſerè) ſed iniquè incuſantur ſponte amiſſam ac deperditam non reſtituentes. Ubi enim jam nul-

lus arti locus, tunc arcessitus magno strepitu Medicus exauditur, sed omnis paratur Medicina cum invaluere mala, quæ arte nullâ superari queant. Sanitate adhuc integrâ, vel cum nondum altas fecisset radices morbus, Medicus hunc avertere potuisset salubri consilio vel prævertere; edocuisset quâ potissimùm arte sanitatem omni auro pretiosiorem servasses. Ægrotaturo fidelis amicus assidens, prævidisset imminentem capiti ruinam atque avocasset, morbos vel repulisset vel imminuisset. At in re omnium carissimâ nullus servatur ordo, nullaque, sanitate illæsâ, Medicis fides adhibetur; incassùm concionantur. Non quod prodest, sed quod arridet expetitur. Quid quòd ubi de restituendâ sanitate agitur, non probitate ac doctrinâ conspicuum advocant Medicum, sed occursationibus eblandientem, sed moribus indulgentem; hinc ægrotarum tanta multitudo. Medicum esse putant qui se professus est; ἰατροῦ titulo decorantur vilissima mancipia, hominum que vanitate inclarescunt.

V.

HYGIEINES igitur deseruntur utilissima consilia. Dubitas? Quisnam quæso sit totius artis medicæ scopus? Versatur ut aiunt circà res naturales, non naturales & contra naturam; idest hominis tantummodò studiosa, vel observat quâ ratione corpus moveatur & vivat, quibus-nam constat partibus, hæ verò quo inter se vinciantur nexu, diciturque Physiologia, cujus basis est Anatomia; vel attendens ad ea quæ lædere & subvertere possunt œconomiam animalem, docet quânam arte precaveri possint morbi quos gignit depravatus earum rerum usus, quæ nostram etsi non constituant machinam huic tamen adeò sunt necessariæ, ut his nullomodo carere possit: ut sunt aer, cibus & potus, somnus & vigilia, motus & quies, excreta & retenta, animi pathemata, & tunc dicitur hygieine: vel tandem diversam morborum indolem per propria signa & symptomata cognoscendo, iis tentat per indicata remedia occurrere, vocaturque therapeutice, cui famulantur semeiotice, Pathologia, Pharmacia, Chirurgia. Quisnam autem non videat quantò utiliùs quantòque faciliùs fuerit fluiditatem liquoribus insitam, elasticitatem fibrarum propriam, flammam naturalem vestalium more excolere, quàm his omnibus vel subversis vel ruinam minitantibus succurrere; imò hygieine non solum corporis, cui nunquam non invigilat, est medicina, sed & animi morbos & explorat & curare studet. Mater omnium virtutum. Probando aere dicatur prudentia, eligendis cibo & potu sobrietas, temperantia, præscribendis motu & quiete, alacritas fortitudo, curandis animi affectibus continentia, pudor, animi constantia, morum candor; dum enim iræ impetum curat obtundere, bilis æstum compescit acrimoniamque mulcet, dum timoris socordiæque vitia corrigit, motu, exercitio, equitatione, venatione, acris mutatione robur debitum energiamque partibus addit requisitam ut ad altiora erigantur. Excandescentis flammulæ æstu torretur ardetque furens amator? Balneis mulcet, refrigeranti victu tempetat, eroticum affectum sedat, expetitam restituit mentis tranquillitatem, humoribus incitatioribus quietem, fibris rigidioribus mollitiem. Hygieine legibus obtemperetur, sanguis per arterias discurrit suaviter, lympha blandè diffunditur, spiritus placidè per nervos agitantur, calor temperatus temperatos efficit homines. Hinc corpus agile, sensus puriores, intellectus vivax, animus alacer, memoria tenax, motus expediti, actiones promptæ & faciles, anima tandem excusso cupiditatum jugo exoneratur pondere indecoro, ac totus homo fruendæ, quæ in terris prægustari potest, felicitati accomodatur.

Ergo Hygieine, Medicinæ pars utilissima, desertissima.

Proponebat Parisiis, ANTONIUS LE CAMUS, Parisinus, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, A. R. S. H. 1743. à sextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1743.